



BEATISSIMO DOMINO,

D. NOSTRO PAPÆ GREGORIO XIII.

CATHOLICÆ ECCLESIE PONTIFICI

Optimo Maximo, ad humilima pedum oscula.



ANC nobis legem ipse Christus prescripsit, Beatiss. Pater, ut à Petro fidei plenitudinem requiramus, non modò cum supra Petràm Ecclesiam edificandam assereret, Matth. 16. sed & pro Petro rogaret, ne deficeret fides eius. subiunxit enim, Tu autem conuersus confirma fratres tuos; quòd ab ipsius soliditate ceteri Apostoli pendere deberent.

Eapropter Petrus in medium profiliit, cum de electione Matthie ageretur. Idem in die Pentecostes Apostolos à calumnia vindicauit. Idem Apostolis presentibus sepissimè causam Domini egisse legitur. Sed & ad eum Paulus, vas electionis, licet per Iesum edoctus, de Euangelio contulisse gloriatur. Liceat autem hìc mihi Theodoreti ad beatissimum Leonem Pontificem verba vsurpare: Si Paulus predicator veritatis, & Spiritus sancti tuba, ad Petrum accurrit, ut iis qui Antiochie de viuendo secundum legem Moyse discrepabant, definitionem & explicationem ab eo ferret: multò magis nos, qui pusilli sumus & viles, ad solium vestrum Apostolicum accurremus, ut à vobis medicinam vlceribus Ecclesiarum feramus. Reuera enim, ut Basilius scribit in Epistola ad Romanum Pontificem, dignum est illa excellentissima voce, qua te Christus beatum predicauit, quod pietati tuæ à Domino donatum est, ut quod adulterinum est, à legitimo & puro discernas, ac fidem Patrum sine vlla subtractione confirmes. Hac potissimum ratione minimus ego eorum omnium, qui Dei verbum in Ecclesia Catholica profitentur, hunc nostrum manipulum, post messores, è vasto & fertilissimo sanctissimorum Patrum agro, in Euangelia collectum, tuæ Sanctitati offerendum existimaui: ut ea quæ de fidei regula traduntur, firmarem, ne fal-

Matth. 16.

Luc. 22.

Act. 1.
Act. 2. 3. 4.
5. 8. 10. 11.
12. 15.

Theodoretus.
Gal. 1. 2.

Basilius Epi-
stola ad
Pontificem
Rom. Paris.
Matth. 16.